Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

sunt: neque deos euocari aut coli uolunt: Quippe qui nihil preter iussum ac uoluntatem dei faciant: Nec tamen illi sunt qui uulgo coluntur: quorum & exiguus & certus est numerus: Quod si cultores deorum eos ipsos se colere putant: quos summi dei ministros appellamus: nihil est: quod nobis faciant inuidiam: qui unum deum dicamus: multos negemus: Si eos multitudo delectat. Non xii dicimus aut ccclxv. ut orpheus: sed innumerabiles esse arguimus eorum errores in diuersum: qui tam paucos putant: Sciant tamen quo nomine appellari debeant: ne deum uerum uiolent: cuius nomen exponunt: dum pluribus tribuunt: Credant Appollonio suo: qui eodem illo responso ut ioui principatum: sic & caeteris dyis abstulit nomen. Tertius enim uersus ostendit dei ministros non deos: uerum debere angelos appellari oportere: de se quidem ille mentitus est: qui cum sit e numero demonum: angelis se dei aggregauit: Denique in alyis responsis demonem se esse confessus est: Nam cum interrogaretur: quomodo sibi applicari uellet ita respondit:

Omnia sapiens. omnia docte: qui per cuncta uersaris audi demon.

Coaptacio mundi omnino lucide & sapiens demon.

Iterum rursum cum praecem in appollinem Sminthium rogatus expromeret ab hoc uersu exorsus est.

Demones qui pergunt circa terram & circa pontum indefessi domantur sub scutica dei.

Quid ergo superest: nisi ut sua confessione uerberibus ueri dei ac poenae subiaceat sempiternae. Nam in alio responso ita dixit:

De utrisque generibus in secundo libro dissaeremus: Interim nobis satis est: quod dum honorare se uult. & in caelo collocare: confessus est id: quod res habet: quomodo sint appellandi: qui deo semper assistunt. Retrahant ergo se homines ab erroribus & abiectis religionibus prauis parentem suum dominumque cognoscat: cuius nec uirtus existimari potest. nec magnitudo perspici. nec principium comprehendi: cum ad illum mentis humanae intentio & acumen & memoria peruenerit. Quae si subductis & consummatis omnibus uyis subsistit. haeret: deficit. nec est aliquid ulterius: quo progredi possit: Verum quia fieri non potest: quin id: quod sit: aliquando esse coeperit: consequens est. ut quoniam nihil ante illum fuit: ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus. Ideoque ab appolline ΑΥΤΟΦΥΗΣ a sybilla idest ex se ortus a sibilla

Quod seneca homo acutus in exhortationibus uidit: Nos inquit aliunde pendemus: Itaque ad aliquem respicimus: cui quod est optimum in nobis debeamus. Alius nos edidit. alius nos instruxit: deus ipse se fecit:-

Quam proxime christianae doctrinae dicis Seneca.

VIII.

Plato.

Nam igitur tot & tantis testibus comprobatur unius dei potestate ac prouidentia mundum gubernari: cuius uim maiestatemque tantam esse dicit in timeo plato: ut eam neque mente concipere: neque uerbis